



~~PH.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-27
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

St. Michael. alced

DEO BENEIVVANTE:

Theses Theologicae

DE VERA ET LEGI-
TIMA ELECTIONE AC VO-
CATIONE MINISTRORVM
ECCLESIAE,

Quas

CONTRA PONTIFICIOS

Ad disputationem XXI. in Collegio Studiosorum
Theologiae privato proponit

M. HERMANNVS VVOLFIVS
Lubecensis

Respondente

MARTINO DETLEVO Oterndor-
fensi Hadelerio.




VVITTEBERGAE,

Literis VVolfgangi Meisneri.

ANNO cl. l. IVC.

A. M. Arger





*AMPLISSIMO CONSVL-
tissimoq, viro, pietate, sapientia, eruditio-
ne, & magno rerum usus pra-
stantissimo,*

DN. GERHARDO GRENSINIO,
Inclytæ Reipub. LVBECENSIS Sena-
tori dignissimo,

*Domino suo, singulari observantia cul-
tu, honorando,*

hoc γυμνασιμα Theologicum hu-
militer offert & donat

M. Hermannus VVolfius.

De vera & legitima electione ac vocatione
ministorum Ecclesie.

T H E S I S I.



Itum est nuper de vera Christi in terris Ec-
clesia, eiusque notis tum propriis & genuinis,
tum nothis & falsis: sequitur, ut de membris,
quibus illa constituitur, & in his de primo & no-
bilissimo, quod est ordo Hierarchicus, nunc disqui-
ramus.

2. Complectitur ille verbi diuini pracones &
ministros, de quorum electione & vocatione ad sacrum ministeri-
um vera & legitima in praesentia quaeritur. Scribit enim Bellarmi-
nus, nullam esse apud haereticos (quos intelligat notum est) veram lib. 1. de Cler.
ordinationem, nullam vocationem, nullam electionem, proinde nullos Episco- cap. 2.
pos, nullam Ecclesiam.

3. Cuius affirmati rationem hanc reddit Concilium Tridentinum,
quod ministros Ecclesiae ordinare atq; alia pleraq; peragere (puta elige- Sess. 7, cap. 4.
re, vocare) soli possint Episcopi, quarum functionum potestatem reliqui
inferioris ordinis nullam habeant.

4. Ex quo patet hoc potissimum in controuersia positum esse: scilicet.
Nam electio & vocatio Episcoporum seu Praesbiterorum, jure diuino, ad so- Bell. lib. 1.
los Episcopos, an verò ad vniuersam Ecclesiam spectet, ita vt sine eius con- de Cler.
sensu nemo ad ministerium Ecclesiasticum legitime electus aut vocatus ha- cap. 2.
beri debeat?

5. Hic prima de Episcopis & Praesbiteris est quaestio, quorum De distinct.
appellationibus omnes intelligimus qui laborant in sermone & do- Episc. & Pres.
ctrina. Sic enim Praesbiteros, quos Epheso Miletum euocarat, di- Bell. lib. 1. de
cit Paulus à Spiritu S. esse constitutos Episcopos ad pascendum Cler. cap. 14.
Ecclesiam Dei, quam sanguine suo sit mercatus. Idem Titum & 15.
monens de constituendis per ciuitates praesbiteris, & quales ordi- Actor. 20.
nari debeant ostendere volens, Episcopum inquit, irreprehensibi- Tit. 1.
lem esse oportet. Prorsus vt de Philippensium Ecclesia scribit, fuis- Philip. 1.
se in ea Episcopos & Diaconos.

6. Idem ergo iuxta S. S. Theologiam in Ecclesia sunt Episcopi &
Praesbiteri,

Præbiteri, & proinde commune officium, quod est ministerium
verbi & Sacramentorum, & cura Ecclesiastica disciplina, sustinet.

II. Pet. 5.
v. 1. & 2.

7. Quod & Petri locus innuit, qui alloquens Præbiteros, se
Compræbiterum vocat, & Præbiterorum officio τὸ ἐπισκοπεῖν tri-
buit.

De duplici
potestate, vi-
delicet, ordi-
nis & iurisdic-
tionis.

8. De multis nos monet locus iste, quæ contra Bellarmini stro-
phas obseruasse operæ precium fuerit. Scribit ille, *iure diuino Epi-
scopatum Præbiterio maiorem esse, tum ordinis potestate, tum iurisdic-
tionis.*

Apol. conf.
August. tit. de
potest. Eccl.
§ 5.

9. Iam nos geminam illam potestatem, Ordinis & Iurisdic-
tionis, regimini Ecclesiastico minimè adimimus, sed hanc ipsi cum A-
pologia Confessionis nostræ constanter asserimus. Vtramque verò
eandem sequentes, sic describimus: illam quidem, quod sit *mini-
sterium verbi & Sacramentorum*, hanc verò quod sit *autoritas excom-
municandi obnoxios publicis criminibus & rursus absoluendi eos*, si con-
uersipetant absolutionem. Nec aliam potestatem Ecclesiasti-
cam esse ex vniuersa scriptura certum est.

Potestas Or-
dinis.

10. Quod si ergo iure diuino Episcopus Præbitero maior est po-
testate ordinis, lanè cum officium Præbiterorum sit docere ver-
bum & administrare sacramenta, nihil hoc Episcopos (putà Ro-
manenses istos) quippè amplioribus muneribus destinatos, attine-
bit.

Bell. i' id,
I. Tim. 4.
v. 14.
In Epist. ad
Euag.
In Epist. ad Tit.
In Epist. ad
Oce.

11. Hinc illos Chrismatum confectioni, altarium constitutioni,
regiæ dominationi, & similibus officijs Episcopalibus vacare: ver-
bi autem & sacramentorum ministerium Præbiteris & Diaconis
committere videas. Quàm belle igitur ipsis cum Petro conuenit,
qui cum Episcopus esset, commune cum Præbiteris ministerium
usurpare non abhorruit?

2. Nec sufficit, quod *solos Episcopos iure diuino ordinare posse affir-
mat, Præbiteros non item.* Contrarium enim Paulus docet, cum Ti-
motheo gratiam per impositionem manuum Præbiterij donatam
scribit. Ex quo loco Hieronymus ordinationem, Præbiteris vnà
cum Episcopis communem fuisse sapius & prolixè ostendit, quam
sententiam & reliquis S. Patrum chorus, inter quos sunt Ambro-
sius, Beda, Isidorus & c. manifestè comprobat.

13. Idem verò differentiam istam, quæ nunc est inter pios Episco-
pos

pos & Præbiteros, non iure diuino sed humano, propter dissi-
dia in religione crebrius oborta, introductam esse, luculenter e-
docet. Et rursus Aerij confusiones, Episcoporum autem su-
percilium reprimere volens: sicuti, inquit, Præbiteri sciunt, se ex
Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos.
ita Episcopi nouerint, se magis consuetudine quàm dispositionis
Dominicæ veritate Præbiteris maiores esse, & in commune de-
bere Ecclesiam regere.

14. Ergò ut iure diuino discrimen inter Episcopum & Præbite-
rum nullum agnoscimus: ita postquam illud salutaris Ecclesiæ in-
stituto introductum est, Episcopos Præbiteris iure humano supe-
riores esse primò quidem ordinis potestate non diffitemur.

15. Vnde & hoc sequitur, etiam diuina dispositione non minus
ad Præbiteros, quàm ad Episcopos potestas ordinationis pertinet,
vtræque tamen & disciplinæ gratia, extra peculiarem causam &
casum necessitatis eam Episcopis (seu quos nos vocamus Superin-
tendentibus) relinquere posse, quod apud nos quoque fieri Ecclesia-
rum nostrarum praxis ostendit.

16. Ut proinde rectè damnatus sit Aerius, qui differentiam il-
lam inter Episcopos & Præbiteros, ordinis & concordie gratia
receptam conuellere, & distractionibus causam dare voluit.

17. A qua sententia quàm nos longè absumus, ex eo manifestum
est, quod gradus & ordinem ministerij, quatenus decori & ædi-
ficationi seruit, omnino retinendum censeamus, maxime cum di-
uinarum scripturarum autoritate nitatur, quod Antiochenæ,
Corinthiæ, aliarumque Ecclesiarum exempla testantur.

18. Quanquam, quinam & quot gradus eiusmodi constitui de-
beant, nullo DEI verbo expressum legatur. Vti nec Apосто-
lorum tempore in omnibus Ecclesijs & semper ijdem & totidem
gradus obseruari fuerunt, id quod Paulinæ Epistolæ, ad diuersas
Ecclesias datæ arguunt. Quid? quod distinctio illa graduum A-
postolorum tempore adeo iuris diuini non fuit, ut sæpenumerò
unus & idem omnia illa officia quæ ad ministerium pertinerent,
exequeretur, quod rursus ex historia Apostolica manifestè ap-
paret.

19 Brutum

In cap. 1. ad
Tit.
vide Articulu
Smalc. tit. de
potest. Iuris
dict. Episc.
§ 1.

Epiph. hæresi
76.
August. lib. de
hæresi, cap. 35.

De varijs gra-
dibus & or-
dinib. in Eccl.

Bellarm. lib.
1. de Cler.
cap. 11, 12, 13.



Ambrosius su-
per 4. cap. ad
Ephes.

Potestas iurisdictionis,

Artic. Simalc
de iurisdic.
& potest Episc.

lib. de Cler.
cap. 14.

19. Brutum ergo fulmen est, quo Ecclesias feriunt Pontificii, quæ septem illos ordines Papisticos, puta Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolutorum, Subdiaconorum, Diaconorum, & denique Sacerdotum non agnoscunt. Quid enim ad nos, quæ nullo DEI verbo mandata sunt? Quod si patrum ætate eiusmodi graduum ministerij distributio visitata fuit, expressè tamen eam nec mandati diuini, nec traditionis Apostolicæ esse confitentur.

20. Potestatem Iurisdictionis quod attinet, qua Episcopus Præbiteris iure diuino maiores esse Bellarminus affirmabat, ea duplex est, Ecclesiastica & gladij, quam rectè phrasin ipsius imitatus Imperij voces seu Imperialem.

21. Iure igitur diuino, nulla siue in præbiteros, siue in Laicos iurisdictionis potestatis Episcopis ut Episcopis, hoc est, quibus ministerium verbi & sacramentorum commissum est, competit, nisi Ecclesiastica, quæ est remittere peccata, item, cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Euangelio dissentientem reijcere, & impios, quorum nota est impietas excludere à communionem Ecclesiæ, idque non vi humana, sed verbo.

22. Et hæc ad omnes pertinet, qui in Ecclesiastico officio constituti sunt. Quam cum olim per tyrannidem ad se rapuerint Romanenses Episcopi, rectè factum est, quod illa pijs pastoribus & ministris Ecclesiæ est reddita, qui eam legitimè ad gloriam Dei & morum emendationem vsurpant.

23. Sed de hac Iurisdictionis specie, quæ Ecclesiastica est non disputat Iesuita noster, pugnat verò pro altera, quæ est imperij & dominationis, quæ leges ponantur, & pœnæ præuaricatoribus decernantur: cuius virtute Episcopi solum siue thronum habeant in Ecclesia: quæ sit potestatis iudicium, item, quæ imperare Principum more dicantur à Patribus: quæ denique Episcopi non sint in cætu Præbiterorum quasi consules in senatu, sed quasi Reges ac Principes in cætu consiliariorum. Adeo tyrannica illa dominandi libido Romanum Clerum inuasit.

24. At verò si iure diuino cum tanta potestate sunt Episcopi, qui factum est, quod ea nulla Scripturæ autoritate ipsis commendata sit? Nam quod ex figura V. T. argumentatur Iesuita, sicut ibi Pontifex Sacerdotibus & Leuitis maior fuerit, quod ex. Deut. 17. probare intendit, ita nunc Episcopos præbiteris, hos diaconis superiores

periores esse, primò *λίαν μέγα ἄδικμα* sibi sumit Adversarius, quando dicit Episcopos id esse in Ecclesia, quod erant Pontifices in V. T. id præsbiteros suos, quod illic minores sacerdotes, id Diaconos suos, quod illic Leuitæ.

25. Cum enim distinctio illa graduum in V. T. à Deo profecta sit, hanc humani iuris esse iam demonstratum est. Vnde nec à forma politica Mosaica ad formam Ecclesie sub regno Christi procedere licebit, quod illa aduentu ipsius sublata, aut saltem immutata est.

26. Et lanè Vetus testamentum vmbra, nouum imagini comparari scimus. Id verò non vltius extendit Apostolus, quam ut ostendat Christum nunc substantia carnis suæ verè nobis præsentem esse, qui priscis Patribus sub lege certis tantum typis adumbratus fuerit. Quomodo igitur ex hoc fundamento Episcoporum maioritatem educere licebit.

27. Maximè cum dignitas illa sacerdotalis V. T. à regia illa Episcoporum, de qua garrit Iesuita, dignitate longo interuallo differat. *Matth. 20. Luc. 22. Iohan. 20.* Ut taceam quod illa Deum habeat autorem, hæc ab ipso Seruatore nostro Apostolis, omnibusque verbi ministris sæpius abiudicata sit.

28. Sicut verò Episcopos iure humano præsbiteris potestate ordinis maiores esse dicebamus: ita eiusdem beneficio hos illis subiectos esse libenter largimur. Qua de re cum inferius dicendum sit, nunc ad alteram τὸ ἑξῆς partem quæ de electione & vocatione Episcoporum seu Præsbiteriorum quærebat, declarandam transimus.

29. Electionem ita describit Bellarminus, quod sit *designatio certa personæ ad Ecclesiasticam præfecturam.* Quæ verba, ut aliàs pro sensu bona agnoscimus, ita à præfecturæ titulo, quatenus dominatum Papisticum inuoluit, toto pectore abhorremus, memores illius, *1. Pet. 5. Matth. 9.* Non dominantes Clero. Sicut nec Christus venit, ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret.

30. Id verò obseruatu dignissimum, quod scribit Iesuita, Deum cum per homines eligit, aut id facere naturali propagatione aut voluntaria electione. Si voluntaria electione, aut vnius aut plurium: si plurium, aut populi aut Cleri, aut vtriusque.

31. Nam si ius eligendi populo quoque tribuendum est (num iure diuino, an concessione Pontificum deinceps patebit) cur eundem à iure vocandi excludit? Cum vtrumque semper coniunctum fuisse,

fuisse, ex primitiua Ecclesiae historia constet. Vnde & Apostolos ad ministerium docendi vocasse dicimus, cum per suffragia Ecclesiae deligerent viros doctos & idoneos, & illis depositum suum commendarent.

Bell. lib. 1. de
Cler. ca. 19.

32. Caterum, quarum in electione personarum ratio haberi debeat, Paulus in tribus Epistolis, quas Timotheo & Tito inscripsit, abunde docet. Vnum est quod hic controuertitur, utrum videlicet sacris hominibus liceat esse coniugatis?

1. Tim. 3.
Tit. 3.

33. Id verò nobis Apostolus definit, quando bonum Episcopum describens ait: oportet Episcopum irreprehensibilem esse vnus vxoris maritum &c. Et tamen eidem $\sigma\epsilon\phi\epsilon\omega\sigma\upsilon\upsilon\upsilon\mu$ tribuit $\kappa\alpha\iota\ \epsilon\upsilon\kappa\epsilon\alpha\tau\epsilon\alpha\upsilon$: prorsus ut de se ipso quoque pronunciat, an non liceat mihi sororem circumducere mulierem, ut & ceteri Apostoli & fratres Domini, & Cephas 1. Cor. 9.

34. Doctrina igitur demoniorum est, quae propter externam sanctitatis speciem nuptias sacerdotum, siue ante siue post ordinationem prohibet, honorabile enim coniugium in omnibus, hoc est, inter cuiusuis ordinis homines Hebr. 13.

De vocatione
Heb. 5. v. 4.
Gal. 1. v. 1.

35. Porro Electionem excipit vocatio, de qua sic loquitur Epist. ad Hebraeos; Nemo sibi sumit honorem, nisi ritè vocatus, ut Aaron. Et hanc triplicem constituit Apostolus, cum scribit, se nec ab hominibus, nec per homines, sed per Iesum Christum ac Deum Patrem ad Apostolatam vocatum esse.

Vocatio merè
humana.

36. Sunt enim qui à solis hominibus vocantur, hoc est, quorum vocatio tantum humana est, & nihil diuini habet. Quo in censu sunt, qui illegitimis rationibus ad ministerij dignitatem conscendunt, puta, vel Simonia, seu pecunia & largitionibus: vel sinistro superiorum quo valent, fauore & gratia, vel quia singularem pietatis & scientiae speciem praeseferunt, cum sint nubes sine aqua, arbores steriles & bis emortuae, &c.

Epist. Iud. v. 12

37. An verò illi praesentiam Dei & gratiam Spiritus S. in hac statione sua sat tuto sibi spondebunt? cum diuinae promissiones Ecclesiae doctoribus propolita illos tantum attineant, qui secundum verbi praescriptum & legitimis rationibus, quas Lex vocationis praescribit, ministerio docendi praeficiuntur?

38. Neque verò tantum interna vocatio, quae facultatem docendi respicit, ministerium facit, alioquin enim omnes forent, quicunque

que donis eruditionis & doctrinae instructi sunt, sed ut diuina sit, ex-
terna quoque vocatione opus est.

39. Hæc vel immediata est vel mediata. Immediata est illorum, ^{Vocatio diui-}
quos ipse Deus nulla usus vel Angelorum vel hominum opera ad ^{na.}
ministerium vocat: qualis erat Moyses, Aaronis, adeoque Prophetarum & Apostolorum ferè omnium, quibus vel Deus immediatè ap- ^{De vocatione}
paruit, vel quas Christus, tum quando in his terris adhuc visibili- ^{immediata}
ter versabatur, tum postquam in cælum ascendit, ad docendum ^{seu extra or-}
Euangelium in orbem terrarum ablegauit. ^{dinaria.}

40. Horum ministerium ut ad certam Ecclesiam destinatum non
erat: ita testimoniū habet Spiritus & miraculorū, quod in doctrina ^{Ephes. 6.}
non errent. Ideoque super fundamentum Prophetarum & Apo-
stolorum extructi dicimur, adeo ut Paulus anathema dicat his, qui ^{Gal. 1.}
aliud Euangelium annuncient, quàm quod ipse annunciauerit.

Vnde patet, nullam nunc amplius immediatam vocationem expe-
ctandam esse, postquam semel Deus opt. max. ministerium ad il- ^{2. Tim. 1. v. 14.}
lam vocem doctrinae, quæ à filio Dei accepta & ab Apostolis im- ^{Ebr. 1. v. 2. 30.}
mediatè vocatis Ecclesiae tradita est, alligauit.

41. Proinde nec miracula amplius attendenda erunt, quæ imme-
diatam vocationem proximè comitantur, præsertim, cum aduen-
tum filij perditionis, secundum operationem Satanæ in omni virtu- ^{2. Thes. 2. v. 9.}
te & prodigijs mendacibus fore iam pridem Apostolus pronuncia-
rit.

42. Ut plus quàm ridiculi sint Pontificij, qui miracula ad confir-
mationem doctrinae (quam vocant Lutheranae) rigidè adeo flagi- ^{lib. 4. de}
tant. Sicut splendide fingit Bellarminus, Lutherum bis tentasse mi- ^{Eccl. 14.}
raculis doctrinam suam hominibus commendare, sed successu mise-
rerè frustratum esse. Et Staphylum citat atq; Cochlaeum, quod satis
est.

43. Quinimò, cum nouum doctrinae genus à Luthero nunquam ^{De vocatione}
prolatum sit, quid testimonio miraculorum opus fuit? At extraor- ^{Lutheri.}
dinariam fuisse ipsius vocationem dicitis? Fuit verò & Baptistæ ^{Ioh. 10. v. 45.}
talis, & signum tamen nullum edidit, licet diuinis Spiritus testi- ^{Esa. 49. v. 13.}
monijs vocatio ejus non caruerit. ^{Mal. 3. v. 10.}

44. Nos Lutheri vocationem ordinariam fuisse dicimus si Præsbi- ^{Bell. lib. 1. de}
terium ipsius spectes quod bis ipsi commendatum fuit: extraordina- ^{Cler. cap. 3.}
rium verò, ad extraordinarium opus reuelationis Antichristi ani-

B

mum

D. Hunn. cont. **45.** **mum si referas, sed quæ tamen non minus quam illa Baptistæ eccle-**
Art. Ies. p. 12, **stibus testimonijs commendata sit, quod ex oraculis Prophetarum**
Daniel. 12, **& Apostolorum, Danielis, Pauli, Iohannis &c. manifestum est.**
2. Thess. 2. **45.** **Quanquam, si omninò miracula urgent, sufficere potest hoc**
Apocal. 14, **unicum, quod imbellis & inerimis homo suo calamo longè poten-**
& 18, **tius sedem Romanam concussit, quam universa Monarcharum**

oibis potentia multis seculis præstare poterat.

46. **Ergò immediata seu extraordinaria vocatio nunc penitus**
expiravit. Ut hanc frustra obijciant Sacramentarij, cum, quos
privatim instituerunt ipsi, hos antequam legitime vocentur cum
potestate docendi in varias terrarum partes emittunt: sicut, etiam
ex puritate doctrinæ vocationem legitimam & diuinam missionem
assimare solent.

De vocatione
mediata seu
ordinaria,

47. **Relinquitur ergò sola ordinaria seu mediata vocatio, quam**
per homines fieri Paulus in loco nuper citato affirmabat. Quod
tamen non ita accipiendum, quasi vocatio Prophetarum & Apo-
stolorum sola Deum habeat autorem, hæc non item.

1 Tim. 4 v. 14,
2. Tim. 1. v. 6,
1 Tim. 3. v. 2,
2. Tim. 2. v. 23,
Act. 20. v. 28.

48. **Nonne enim Timotheus per Paulum & Præsbyterium voca-**
tus erat, habebatque mandatum constituendi Præsbyteros? et ta-
men idem Apostolus omnibus Ephesinæ Ecclesiæ Episcopis testi-
monium perhibet, quod à Spiritu S. constituti sint Episcopi ad pa-
scendum Ecclesiam Dei, quam sanguine suo acquisiuerit,

1 Cor. 3,
1. v. 4, 5,

49. **Vnde consequitur, nec à sola immediata vocatione ministe-**
rii Ecclesiastici efficaciam suspendendam esse, quod faciebant Co-
rinthii, qui ex personis vel mediata vel immediate vocatis effica-
ciam verbi aestimabant.

50. **Quibus Paulus respondet, Quis est Apollo, quis est Paulus,**
nisi ministri per quos credidistis &c. Sic igitur quos diuersus voca-
tionis modus inæquales constituebat, hos eiusdem ministerij effica-
cia æquales adeoque unum faciebat.

51. **Proinde, siue autorem utriusque vocationis siue vocationis**
efficaciam spectes, omnia utrobique sunt paria, imparitas verò nul-
la, nisi quam metæ utrinque propositæ diuersitas introducit, quæ
cum priuilegio illo de immunitate ab erroribus proximè coniuncta
est.

52. **Itaque ut hoc qui gaudent (gaudent verò omnes qui im-**
mediate vocati sunt) absolutam potestatem ubique docendi obti-
nent,

nent, Apostoli imprimis in N. T. sic qui eo carent (carent verò omnes qui mediatè vocati sunt) horum tantū ad certas Ecclesias ministerium a ligatū est, nisi vel ad reformationem alibi instituendam vel ministerii partes obeundas legitimè vocentur.

53. Quanquam interim non prohibentur, ut si isto dono valenat publicis etiam scriptis Ecclesiam informet & imprimis aduersus hæreticorum imposturas iuuent & defendant. Sicut enim quisq; paterfamilias, nullo urgēte discrimine publico, curat quæ suæ sunt domus, communi verò periculo ingruēte ad auertendum imminens periculum, suas vires operasq; coniungunt singuli: ita in communi causa ministri Ecclesiarum, communes operas suas conferre tenentur, qui alias extra tale periculum, curas suas in Ecclesiam sibi commissam defixam habent.

54. Et tantum de personis eligendis, deque duplici vocatione mediata & immediata. Quærebatur verò amplius, num ius eligendi & vocandi ad universam Ecclesiam pertineret? De Ecclesia autem non Catholica sed topica, cui Pastor aliquis præfici debeat agi, ex se planum est.

55. Iam verò sicut in foro Ecclesiastico, quando coram Deo agitur, nullus personarum est respectus nullaq; differentia (quò & Lutherus in lib. de abroganda Missa sine dubio respexit, tecus quàm calumniatur Bellarminus) ita cum hæc vita respicitur, tres in Ecclesia deprehenduntur ordines: unus sacerdotum hominum: alter politici Magistratus, tertius Laicorum: quos simul omnes & singulos Cleri sui appellatione Deus dignatur.

De Clericis
quinam sint

56. Sic enim (ut de aliis scripturæ locis nihil dicamus) Petrus 1. Petr. 5. scribit Præbiteris: Pascite qui in vobis est gregem: Dei, & curam habete illius, non coactè sed libenter, neque ut dominantes Clericis, sed ut qui sitis exemplaria gregis.

Deut. 9. & 32.
Psal. 30. & 68.
Jerem. 50.
Ioel. 2.
Mich. 7.

57. Sacrilegium ergò est, cum id quod totius est Ecclesiæ, unctæ & rasæ cohorti suæ ascribunt Pontifici. Quanquam enim scriptura hunc dignitatis titulum specialiore quadam ratione V. T. sacerdotibus aliquando tribuit, eodem tamen reliquos Ecclesiæ ordines minimè spoliât.

58. Sed ut titulum ipsum honoris, ita ius electionis & vocationis ad se solos maiori etiam sacrilegio rapuerunt. Ita enim



Gratianus citat canones Romanorum Pontificum, quibus cauetur ne Laici se immisceant electioni Clericorum, & maxime ne Principes sibi arrogent ius vocandi vel postulandi Episcopos.

59. Qui verò inde tumultus exorti sint, ex historiarum monumentis est perspicuum, praesertim, postquam ipsi quoque Imperatores ad se ius vocationis trahere, sibi que tanquam proprium vendicare conarentur, unde gravissima illa maximeque diuturna bella inter Henricos Imperatores Romanos, Gregoriosque Romanos Pontificos nata sunt.

60. Quanquam & populus saepe iure suo ad seditiones variasque confusiones abusus fuit. Unde Canon Laodicensis dicit, non esse permittendum turbis electionem eorum facere, qui sint ad sacerdotium promovendi. Quae tamen verba quo usque accipienda sint, paulo post apparebit.

61. Ostendendum itaque nunc erit, ius electionis & vocationis Episcoporum seu Praebiterorum, ad uniuersam Ecclesiam, & sic ad Laicos quoque, debito tamen modo & ordine pertinere.

LOCVS PRIMVS.

Act. 1.

62. Petrus Apostolus congregatis simul discipulis, h. e. credentibus quorum numerus quasi 120. erat ex scriptura proponit, qualem & quomodo eligere debeant. Cumque sortes caderent super Matthiam, mox comunibus calculis undecim Apostolis accēsetur.

Act. 10. 41.

63. Paulus & Barnabus voce & suffragiis Ecclesiae constituunt Praebiteros. Hoc enim vocula $\chi\epsilon\iota\sigma\tau\omicron\nu\iota\sigma\tau\alpha\upsilon\tau\epsilon\varsigma$ significari, ex simili loco 2. Cor. 8. v. 19. patet. Quod vero de Apostolorum quoque electione usurpatur, nihil illud contra nos, cum alia immediata alia mediatae vocationis sit ratio, & proinde aliud Dei $\chi\epsilon\iota\sigma\tau\omicron\nu\iota\sigma\tau\alpha$, aliud hominum suffragia.

Act. 15.

64. Denique, cum eligendi essent, qui cum mandatis ad Antiochenam Ecclesiam mitterentur, visum est (inquit Lucas) Apostolis & Praebiteris cum uniuersa Ecclesia eligere Barnabam & Silam.

65. Cumque Paulus ex populi suffragiis Episcopos creare solitus fuerit, num eum plus concessisse Timotheo & Tito putabimus, cum ipse sibi sumserit?

66. Sic ergo concludimus: Si Apostoli & ipsorum successores non nisi comunibus totius Ecclesiae suffragiis Episcopos seu Praebiteros constituerunt, utique electio & vocatio ministrorum verbi
iure

iure diuino ad totam Ecclesiam pertinebit. Illud verum. Hoc igitur,

67. Assumptum ex productis locis iam planum factum est. De propositionis veritate nemo ambiget, nisi qui diuini iuris esse negare velit, quæ Apostolica authoritate & exemplis primorum Ecclesie Doctorum nobis commendata sunt, cum ea mandati & regulæ instar, in his quidem, quæ non tantum ordinis gratia, sed necessitate quadam sic fiut, esse debeant.

68. Rectè igitur Cyprianus, ex diuina authoritate descendere cõten- dit, ut Sacerdos plebe præsentè, sub omnium oculis eligatur, & di- gnus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur.

69. Quò pertinet decretum Leonis: Vota ciuium, testimonia populorum, arbitrium honoratorum, electio Clericorum in ordina- tionibus sacerdotum constituentur.

LOCVS II.

70. Apostoli conuocata Ecclesia eligunt & vocant Diaconos Actor. 6.
Et Paulus ait, quos probaueritis, hos mittam cum Epistolis, ut per- 1. Cor. 16.
ferant beneficentiam vestram Hierosolymam.

71. Vnde sic iterum *συλλογιζόμεθα*: Si in re longe minori Ecclesie iudicium & votum Apostoli non aspernati sunt, multò minus illud in re longè maxima, utpote quæ sempiternam salutem attinet, ne- gligendum erit. Illud verum. E.

72. Hinc Canon 3. Cõciliij Carthaginensis statuit, ut nullus ordinetur Clericus, nisi probatus vel examine Episcoporum vel populari testi- monio Et dist. 24. Carolus & Ludouicus Imperatores decernunt, ut Episcopi per electionem Cleri & populi secundum statuta Ca- nonum eligantur.

73. Si igitur accadat, ut plebs suffragium & potestatem suam vel Magistratus fidei committat, vel suum illud ius in certas quasdam honoratiores personas, quæ plebem representet, conferat, minimè illud in præscriptionem & præiudicium iuris & Ecclesie rapien- dum fuerit.

74. Vt cunq; v. comparatum sit, primæ partes Ecclesiastico ordi- ni debentur. Cum enim omnib. temporibus in eo plurimum situm sit, ne indigni ad gubernacula Ecclesie admouentur, de eo nemo re- ctius pronunciare poterit, quam idonei Ecclesie Pastores, qui do- ctrinam cum vitæ innocentia coniunctam habent.

Dist. 62.
cap. Noffe.

75. Itaque τῶν ἡγεμόνων, id est, ducum nomine & titulo in scripturis ornantur, ut in rebus Ecclesiasticis sua voce consilioque reliquis præeant, eosque ducant, non ab illis ducantur. Sacerdotum quippe est electio, & fidelis populi consensus adhibendus est, quia docendus est populus non sequendus.

76. Et sic quidem omnis eligendi & vocandi ratio in Prasbiterij iudicio, populique suffragijs consistebat olim, cum Magistratus adhuc Ethnicus esset aut impius. Postquam verò Imperatores & Reges Christianam religionem amplexi sunt, rectè ipsorum quoque iudicium & authoritas ad electionem & vocationem requiri & adhiberi cepit.

77. Ut enim religionis cura omnes meritò tangere debet, ita in primis pio Magistratui hoc officij incumbit, ut ministeria Ecclesie rectè constituantur & administrantur, quòd exempla illustrium reformationum sub Dauide, Salomone, Ezechia, Iosaphato, Iosia &c. testantur, qui omnes suum in vocatione nas atque suffragium nequaquam postremum habuerunt.

78. Nec minus sub N. T. Constantinus, Theodosius, alijque Christiani Imperatores, unde Leo primus ait, Principibus & Imperatoribus electiones Romanorum Pontificum atque aliorum Episcoporum referendas esse, usus & constitutio tradidit, pro Schismaticorum atque hæreticorum dissensionibus, quibus nonnumquam concussa Ecclesia Dei periclitabatur.

79. Qua tamen in parte memorabilis est illa modestissima Caroli & Ludouici constitutio, quæ sic habet: Sacrorum Canonum non ignari, ut DEI nomine, sancta Ecclesia suo liberius potiat honor, assensum ordini Ecclesiastico præbimus, ut Episcopi per electionem Cleri & populi, secundum statuta Canonum eligantur.

80. Sed hoc tandem ius Gregorius ille septimus sub mendacissimo prætextu Simonie à Monarchis nequiter ablatum, in se unum transtulit, eoque ipso magnum se Antichristum re & facto declarauit.

81. Rectè itaque factum, quod iugum illud Pontificium tandem excusserunt, ut non tantum eodem cum reliqua Christi Ecclesia iure, verum etiam, postquam oratoria extruxerunt, & ministris Ecclesiarum stipendia constituerunt, peculiari iuris patronatus, quod denomi-

denominationem & praesentationem Pastorum Patronis tribuit, privilegio gaudeant.

82. Non illud verò adeò non est Papisticum, ut à Luthero quoque summo Papisticae tyrannidis hoste & impugnatore, alijsque cum bene multis, tum eximijs Ecclesiarum nostrarum Doctoribus approbatum sit.

Vide Confess. Gryphis de vocat. dimiss. Pastorum.

83. Et quomodo Papisticum foret, cum multò ante primatum Papae, auctoritate piorum Imperatorum approbatum sit, donec tandem publicis Iustiniani legibus confirmatum est.

Iust. imp. in auth. de sacr. Episc. cap. 18. Et in Nouell. 57. cap. 2.

84. Ut verò excusso Papalis iugo ius electionis & vocationis pijs principibus & Magistratibus restitutum est, ita Iurisdictio Episcopalis, ad summum Magistratum & Imperatorem iure diuino recidit.

1. Tim. 5.

85. Licet igitur Praesbiteri sub Episcoporum Iurisditione esse debeant, postquam tamen ob extremum illius sub Pontificatu abusu de decreto Imperatoris & ordinum Imperij ad Principes & alios status Imperij, amplectentes doctrinam Augustanae Confessionis translata est, recte quoque eorundem Iurisditioni subiecti statuuntur.

Bellar. lib. de cler. cap. 28.

COROLLARIA

86. Cum verò illam per Consistoria Ecclesiastica & Superintendentes suos certo ordine & modo administrare, certe impium fuerit, pio isti ordini bellum mouere praesertim cum & Apostolus Timotheo viro quem Episcopum in Ephesina Ecclesia constituerat potestatem faciat recipiendi accusationem aduersus Praesbiteros, testes audiendi, caeteraque disponendi quae ad disciplinam Ecclesiasticam & salutarem iuraeque pertinerent.

87. Tandem de ritu ordinationis quaeritur, num omnino sit necessarius, & an Lutheranae Ecclesiae pastores legitime ad ministerium ordinati sint? Videtur enim sibi hoc indissolubile argumentum texere Bellaminius. Non sunt veri pastores qui non sunt à veris pastoribus ad ministerium ordinati. Lutherus autem, & qui primi pastores apud suos habeantur, non fuerunt per manus impositionem à veris pastoribus ordinati. E. Unde concludit: nec apud nos Ecclesiam esse, quòd ea pastoribus carere non possit.

bellam. de iura. lib. 2. cap. 12.

88. Respondemus si Majorem de his intelligit, qui currunt & veni-



veniunt antequam ab Ecclesia vocentur, & publicum docendi ministerium ipsis commendetur, habet nos sibi ὁμοτίθησεν ἢ ὁμοσπόνδον. At difficile ipsi fuerit de Luthero, cæterisque Ecclesiarum nostrarum doctoribus, hoc affirmare, quod ex hæctenus dictis liquet. Sin vero per ordinationem ipsam impositionem manuum intelligit quæ fiat à Pastoribus (vel Episcopis) ostensum & hoc est, ius illud Præbiteros olim cum Episcopis commune habuisse. Quanquam nec ipse ordinationis ritus, etsi utilis est, & proinde non temerè abrogandus, absolutæ tamen est necessitatis, cum non semper usurpatus sit Act. 1.

89. Non fuerit ergò Lutherus à Pontificio pastore ordinatus (nam in lupos ferè omnes degenerarant) at Præbiter fuit, quod & largitur Iesuita, & proinde verus ac legitimus Ecclesiæ pastor (ex supra dictis) Autoritate igitur Præbiterii sui, & ipse alios ordinare potuit, exemplo Timothei.

90. Habent ergò Ecclesiæ nostræ veros Pastores: Et proinde vera quoque apud nos est Ecclesiæ, quod contra Bellarmini φλυασιæ ostendendum fuit.

COROLLARIA.

1. Cum sæpè de iure vocandi controuersia incidant, queritur an Ecclesiæ istius ministri de cuius legitima vocatione adhuc controuertitur, operâ, in prædicatione verbi & sacramentorum dispensatione, salua & illasa conscientia uti possit? quod si ita, num ex eius ministerio auditoribus certus alius quis fructus expectandus sit?

2. Num liceat ministro Ecclesiæ politica tractare negocia?

3. Num liceat eidem ab una ciuitate transire ad aliam?

4. Num ministri Ecclesiæ sint exempti ab obligatione legum civilium: maxime verò à iudicio seculari?

Artic. Smalc. tit. de potest. & iurisdict. episc. § ult. 5. Num liceat ipsis petere stipendia? quod si sic, num bona Ecclesiastica ad hunc usum dicata bona conscientia possidere possint hi, qui ministerium negligunt, usq; ad luxum abutuntur.

FINIS.

Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gr̄e.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni. B.

Thesi. de iustificatiōe hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatiōe gr̄a Flacianos Joh. Ferinarii.

Assert. Theol. de iustificatiōe hoīs coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa dōe de iustitiā fidei ab opibz, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputatiōes 2, quā una de sanctorū in vitā aeternā beatitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant ps. 3.

1. qd fit qoz Magoz, Babil, Mesob. 2. qd p hoc vocab. Turca significant
3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutandō duobz cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in qua tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo et loco ubi ista evenient. 3. Cuias ob cūas Turca Christianis immittat. 4. Cuias rāone sit repri-
mend. 5. Quo pacto et qbz armis tandem medicis ista gentes sint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi. de Predestinatiōe D. FREDERI.

Dōe de reali communiōne idiomatum in unā Personā Christi, M. Berndes.


Dōe de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi. de Sacramentis in gr̄e GESNERI.

Them. Theol. de orali corporis Christi in cenā manducatiōe dictibz Eucharisticis D. GESNERI.

Them. Theol. de communiōne idiomatum reali tertii gr̄i, D. GESNERI.

manu qui erant in
cuius manu...
in regno regni...
ad dicitur addidit
sane omni erant
sane...
ad...
nabuch...
et...
vobis...
et...
audient...
et...
huc et...
vne et...
fidei...
dixit...
nabuch...
quis...
sane...
mass...
sane...
audient...






DEO BENEIVVANTE:
Theses Theologicae

**DE VERA ET LEGI-
TIMA ELECTIONE AC VO-
CATIONE MINISTRORVM
ECCLESIAE,**

Quas
CONTRA PONTIFICIOS
Ad disputationem XXI. in Collegio Studioforum
Theologiae privato proponit

M. HERMANNVS VVOLFIVS
Lubecensis

Respondente
MARTINO DETLEVO Oternder-
fensi Haderio.



VVITTEBERGAE,
Literis VVolfgangi Meifneri.

ANNO cl. Is. IVC.

A. M. Arger

